



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Cur Socratem Alcibiades cum Silenis comparârit? eamq[ue] comparationem in multas alias res competere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Cap. II. Non omnia mala esse, quæ mala putantur.

Gorgias, qui se nihil nescire, iactitaret, & ardelionibus huiusmodi nusquam non referta essent omnia, solus hic homo, *vnum scire*, dicitabat, *quod nihil sciret*. Atqui, si Silenus hunc explicuisse, videlicet numen inuenisses potius, quam hominem; animum ingentem, sublimem, ac verè Philosophicum, omnium rerum, pro quibus cæteri mortales currunt, nauigant, sudant, litigant, belligerantur, contemtorem; iniurijs omnibus superiorem, & in quem nullum omnino ius haboret fortuna, & usque adeò nihil timenterem, ut mortem quoque nulli non formidatam contempserit: in tantum, ut cicutam eodem biberit vulnus, quo vinum solet; utque iam moriens etiam in Phædonem suum iocaretur, & sapiens oraculo, immo omnium mortalium sapientissimus pronunciaretur.

Hunc talem, facie vilem, pectori incomparabilem Alcibiades cum Silenis idcirco contulit; quia olim Sileni status sectiles fuerunt, & ita concinnatae, ut diduci & explicari possent. Clausæ ridiculam ac monstruosam tibicinis speciem habebant: apertæ subito numen ostendebant, ut artem sculptoris gratiorem jocosus faceret error. Imaginum autem istarum argumentum sumptum erat à ridiculo illo Sileno Bacchi pædagogo, numinumque Poëticorum morione. Ita nimirum non solum multi hominum habitu, vultuq; longè minus præ se ferunt, quam in animo claudant, sed quam plurimæ res quoque aliae, in speciem, & primâ, quod aiunt, fronte, mala, viles, miserabiles videntur, quæ tamen interius, ac propius contemplanti, atque re ipsa sunt bona, pretiosæ, & admirabiles. *Quidquid, in omni genere rerum, præclarus est, id minus in conspicuo est.* In ipsa cognitione, semper germana rerum veritas altissime latet, quæ nec facile, nec à multis deprehenditur. crassum vulgus, quoniam præpostere judicat, nimirum ex his, quæ maxime sensibus corporis obvia sunt, estimans omnia, pañim & labitur, & errat, ac falsis bonorum & malorum simulachris deluditur. In summa, prima mundi lex est: *QVÆRENDE FACULTATES, DEINDE VIRTUS, cui è diametro oppositam tulit, qui dixit: Querite primum regnum Dei, & justitiam eius.*

Hinc discipulis suis, & amicorum charissimis non promittit diuina Sapientia fasces, non titulos honorum, non chlamydes & tiaras, non aureos annulos, & montes, & præcedentia longi agminis

B. officia;

Matth. 6. 33.

VII,